Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26511
Copyright: Admont, Benediktinerstift



uit. Kis ita gestis. filius chlodomiri filii ludowici
regis chodoaldus interfectis fratribus quos una cum eo post
patris obitum ruothildis regina nutriebat. incle
rum se totondit. et processu temporis uitae ac religionis suae
merito partem hereditatis a patribus regibus optinuit.
de qua hodiacum uillam in pago mosomagensi cum appen
dicius sancto remigio ac remensi ecclesiae tradidit. et uillam
ruuliacum in pago biturico sancto dionisio delega
uit. uillam vero nouientum in pago parisiaco cum
omnibus ad se pertinentibus matri ecclesiae parisius ciui
tatis ubi presbiter extitit ordinatus donauit. In qua uilla
plenus uirtutibus migrans ad dominum. et in ecclesia quam ipse
edificauerat corpore fuit sepultus in pace.

Cum episcopi demum gallie & belgice prouinciarum cau
sa fidei ad synodum conuenerunt. beatum remigium unde-
cunque doctissimum. et scripturis sanctis eruditissimum ac
in ecclesiasticis dogmatibus exercitatum ad idem concilium
uenire petierunt. Cui synodo arrianus quidam hereticus
acerrimus disputatoe & dialecticis propositionibus ac
conclusionibus confisus. et inde nimis elatus interierat. In